

1.
MILES



IMMACULATÆ

Rycerz Niepokalanej

APRILIS-IUNIUS 1939

Annus II Nr. 2 (6)

SUMMARIUM

Ab Administratione	34	Polonia semper regnum Mariae	48
SSmus Dominus Pius PP. XII	35	De partibus Immaculatae in forman-	
Militiae Immaculatae propria quae-		do „novo homine”	53
nam sit natura	36	Virginibus exemplum Mariae pro-	
De verae devotionis erga B. Virgi-		ponitur	55
nem proprietatibus	37	Acta SS. Congregationum	56
Quemadmodum Immaculata V. ad-		Chronica	56
animos cath. conformandos valeat	40	Militia Immaculatae	63
Pietas erga B. M. V. Pii PP. XI	43		

Ab Administratione

Iam plurima documenta benevolentiae, benignitatis et liberalitatis nostri amicissimi Lectores in propaganda „Militis Immaculatae” nobis praestiterunt. Ut haec propaganda maior et efficacior sit, libenter numerum exemplarium, quam quisque postulaverit, mittemus. Praeterea huic fasciculo chartam postulabilem adiungimus, quae partem laboris nostris Amicis et cultus Immaculatae Propugnatoribus in nominum novorum indicibus comparandis haud dubie minuet. Tantummodo adnotare rogamus, constanter an tempore dato periodica missuri simus.

Officiorum pleni restant:
Redactionis et Administrationis Moderatores.

In sequentibus nationibus oblatio nostro nomine mitti potest: **America Meridionalis:** Banco Polaco, Polska Kasa Opieki, BUENOS AIRES, c: Tucuman 466, Konto Nr 10.300. **Belgium:** Postcheckambi BRUSSEL Nr 324554. **Dania:** Postgirokontoret KOBENHAVN Postkonto Nr 14924. **Gallia:** Bureau de Chèques PARIS Nr 1655.93. **Hungaria:** Scheckkonto BUDAPEST Nr 13.899. **Jugoslavia:** Caisse d'épargne postale BEOGRAD Nr 66-579. **Latvia:** Bureau de Chèques postaux à RIGA Konto Nr 4364. **Polonia:** PKO. WARSZAWA, Konto 150.283. **Romania:** BUCARESTI 24.936.

S u p e r i o r u m e t E c c l e s i a s t i c a e A u c t o r i t a t i s p e r m i s s u .

Moderator (redaktor) P. Pius M-a Bartosik

Editor: „MILITIA IMMACULATAE” P. Maximiliano M-a Kolbe administrante.	Wydawca „MILICJA NIEPOKALANEJ” pod dyr. O. Maksymiliana M-a Kolbe.
--	---

Pretium annuae subnotationis: Dona, quae quisque ex animi sententia offert, grato animo accipimus; norma 0.75 fr. helv. (5,50 lirae ital.) in Polonia — 0.65 zł.

Aedes directionis et administrationis: Niepokalanów p. Teresin (Wr.) Polonia (Pologne).	Adres redakcji i administracji: Niepokalanów , p. Teresin (Wr.)
---	---

Druk „Rycerza Niepokalanej”, Niepokalanów, p. Teresin k. Soch. Słacza kol. Szymanów

Itaque promptam se exhibet, ut, quodcumque fas est, capessat, si modo dignitas, fortuna aliaeque vitae opportunitates hanc sibi facultatem admittunt.

Id, quod conatus nostros eorumque eventus non mediocriter accrescere facit, est similium animarum consociatio, per quam viribus communicatis ad propositam sibi metam contendant. Inde igitur societas Militiae Immaculatae nascitur quae in ea etiam simplicissima iuris forma, quae accuratissimam singularum partium dispositionem non postulat, non solum idulgentiis Sedis Apostolicae capiendis frui sed etiam per ephemeridem „Militem” quae in plurimis linguis typis editur, sumnum Militiae Immaculatae spiritum penitus perspicere atque animo amplecti eumque in cotidiano vitae usu spargere permittit. Praeterea regimine societatis interveniente, quid sentiant aut quid consilii habeant, sibi communicare possunt.

Ergo impensius semper Immaculatae fieri, id niti, ut Eius perfectiore modo ab omni scilicet parte – nulla excepta – simus, id studere, ut magis atque magis Eius simus ad eum usque gradum, in quo alias animas illuminare, calefacere, inflammare, sibi similes facere, eas Immaculatae acquirere, ut illae quoque Eius prorsus fiant, plures atque plures eo modo expugnare animas, expugnare totum orbem terrarum, expugnare brevissimo quam fieri potest tempore, quam celerrime atque etiam celerrime, spiritum hunc animis, quae sunt quaeque erunt, magis atque magis intus inserere neque admittere, quomodo ulla ulla – sit per breve tempus – Immaculatae signum ulli animae detrahatur – en, quae Militia Immaculatae appetenda sunt.

Cum magis atque magis Immaculatae fiat, quin etiam maiorem atque maiorem animarum turbam militis modo capiat cumque per Immaculatam Iesu addicta et per Ipsum Patris in coelis semper efficacius fiat, anima magis atque magis Miles fit Immaculatae eoque altius in Militiae Immaculatae munus atque naturam penetrat.

P. M. Kolbe

De verae devotionis erga Beatissimam Virginem proprietatibus

Non omnia, quae speciem Mariae cultus ac amoris habent, revera Ei honorem, Deo gloriam et animis utilitatem afferunt.

Ut verus sit amor erga Matrem Dei, illum internum, fidentem, sanctum, stabilem, gratuitum esse oportet. Signa haec si simul sumuntur eximum amorem et pietatem, id est devotionem erga Beatissimam Virginem efficiunt. Haec signa adeo sunt invicem coniuncta, necessaria, ut nullum horum deesse liceat. Devotio vera, interna est simul devotio fidens, sancta, et gratuita. Et vice versa, – si pietas erga Mariam non est sancta, neque interna, neque fidens, neque gratuita, neque stabilis esse potest. Singula signa diversimode sed semper eamdem rem tangunt.

1. Devotio interna.

Ut devotio nostra sit interna, tria elementa requiruntur, quae semper invicem iunguntur et adimplentur. Primum et maximi momenti elementum est – gratia divina actualis, virtus religionis et donum

Spiritus Sancti, quod vocatur pietas. Secundum internae devotionis erga Mariam elementum est firma persuasio de dignitate Beatissimae Virginis et de necessitate gloriae Ei a nobis reddendae. Tertium elementum est amor nostra voluntatis, quae complacentiam in Maria invenit, quae Eam sequi vult, quae Eius voluntatem in omnibus adimpleat, quae Eius privilegiis gaudet, de Eius offensione dolet, quae ad laetitiam Ei afferendam sive molestias sive mortificationes cum audacia suscipit.

Devotioni internae adversatur devotio mere externa.

Devotio externa negationem vel saltem carentiam devotionis internae denotat. Stricte dicendo homo, qui tantum in externis exercitiis devotionem suam ponit, nullam pietatem et nullum cultum Beatissimae Virgini tribuit. Pietas enim exigit actum voluntatis et rationis, cultori autem illi nullus horum est. Inde talis „cultor” nullo modo cultor vocari potest.

2. **Devotio fidens.**

Ut devotio nostra erga Matrem Dei fidens sit, requiruntur simul:

a) firma persuasio de bonitate et potentia Mariae; b) humilitas profunda; c) fiducia in Mariam infinita.

a) Firma persuasio (fides). — Fides est actus rationis, quae gratia Dei adiuta firmiter consentit V. Immaculatam erga nos bonitate, amore, misericordia plenam esse, et nulla indignitatis et culpae nostrae ratione habita, bene facere nobis et gratias exoptatas nobis a Deo impetrare velle; Illam sese Matrem nostram et nos filios Suos dilectos, qui curae Ei sunt, existimare; Eam magna potentia a Deo praeditam esse, ita ut quod Deus imperio, hae Illa precibus valeat; Beatissimam Virginem omnipotentem precibus esse, omnia quae necessaria vel utilia ad salutem nostram sunt-sive gratias spirituales sive bona materialia et temporalia-Eam impetrare posse.

b) Humilitas. — Humilitas sita est in eo, quod nobis persuasum est nos ex semetipsis nihil esse et nihil posse. Id, in quo humilitas fundatur, est suiipsius debita perscrutatio necnon nostrae ad Creatorem relationis cognitio. Sumus etenim creaturae Dei, e nihilo producti atque Eius voluntate et gratia indesinenter sustentati.

Humilitas est verum. Humilitas omnem verum ordinem aspicit ut est in se. Humilitas agnoscit suam omnimodam dependentiam a Deo utpote fonte omnis vitae et gratiae necnon a Maria Matre Dei utpote Mediatrix Universalis.

Tali agnitione laudatur Deus, colitur Eius Beatissima Mater. Humilitas agnoscendo suam miseriam et imbecillitatem scit se absque Maria in ordine supernaturali nihil posse ac propterea omnem suam spem in Ea ponit. Haec autem in assiduo refugio ad Beatam Virginem manifestatur.

Humilitati superbia opponitur, quae non solum honorare nequit, sed econtra tum Deum tum Beatissimam Eius Matrem offendit. Superbus enim se, sibimetipse sufficere et non sibi opus esse ad Deum et Beatam Virginem recurrere, iudicat.

c) Fiducia. — Fiducia seu spes est actus voluntatis, quae in omni necessitate animae et corporis ad coelestem Matrem confugit et cum omni certitudine responsum ab Ea sub gratiarum specie expectat.

Persuasum est ei hoc responsum citius tardiusve in hac vel alia forma, dependenter a sapientissima optimaque ratione Dei, adventurum esse.

In vita quotidiana et practica fidem in bonitatem potentiamque B. Virginis, humilem agnitionem nostrae ab Ea dependentiae et inconcussam nostram fiduciam in Mariam, continuo, pio externo vel interno solum – hoc est mente tantum et voluntate peracto – iaculatorio actu: Maria! – ostendimus.

Actus igitur ille est mentalis conversio aspectus in plenam bonitatem et potentiam Beatissimam Matrem, cum spe Illam nobis adiutricem fore.

Si quis cum spe et firmo proposito emendationis vitae Mariam invocat – dixit Jesus sanctae Brigittae apparet – tres peculiares gratias accipiet, nempe: perfectam contritionem, vim proficiendi in virtutibus et gloriam coelestem.

Ultima haec verba profundius considerare oportet.

Si quis pie nomen Mariae invocat, a Deo gratiam perfectae contritionis accipit. Unde recte agit ille, qui actum contritionis excitare volens, v.g. examen conscientiae peragendo, ante Sacram Communionem, in periculo mortis, vel ante decubitum, Mariam mente saltem orat.

Deinde pro devota invocatione nominis B. Virginis accipiet Eius cultor vim ad progressum in virtutibus. Magna reapse vis voluntatis requiritur ad omnia praecepta divina et praescripta regulae constitutionumque semper observanda; prompto libentique animo ordinaciones superiorum adimplendas; molestas aliorum indoles tolerandas; omnes cruciatu patienti hilarique animo ferendos; sperni contemnique amandum. Clavis autem ad hanc supernaturalem vim acquirendam est sancta ex corde profluens invocatio ore vel mente nominis Mariae. Postremo gloria coelestis saepe sanctum nomen Mariae invocantibus promissa est.

Certum est igitur illam perpulchram religiosamque praxim Deo placere, cum eam tot dotibus bonisque sicuti coelo remuneret.

Magnam revera laudem afferit Mariae fidelis cultor, firma spe excelentes praclarasque Eius virtutes praesertim vero Eius bonitatem, misericordiam, caritatem et potentiam glorificando.

Cultus Mariae sincerus esse debet, natura enim omnis verae amicitiae mutuam confidentiam expostulat. Numquid meretur nomen amici ille qui mihi plenam fidem non tribuit, qui amorem meum parvipendit, non aperit mihi cor suum, non communicat mihi suos dolores nec gaudia? Et quia cultus B. Virginis, ut sit verus, characterem amicitiae habere debet, ergo etiam confidentia necessario requiritur. Insuper cultus Mariae in agnitione B. M. V. Matris Dei et Mediatricis omnium gratiarum relate ad omnes homines consistit. Et quia ex agnitione Mariae, ut omnium gratiarum Mediatricis, necessario totalis erga Eam confidentia, continua invocatione Mariae manifestata, sequitur – ergo cultus Mariae necessario etiam cofidentia indiget.

Cultui confidenti opponitur devotio-si ita revera dici potest-criti-
corum et scrupulosorum.

Nomine criticorum indicantur superbi pleni arrogantia, qui doctrinam catholicam de privilegiis B. Virginis, de Eius bonitate, misericordia et potestate reiiciunt. Non est illis fides simplex et intrepida, nec mirum igitur videtur illos spem non habere. Quia autem ipsi spe carent, nequeunt intelligere, quomodo alii sperare et spe sua apud Dei Genitricem magnas mirasque gratias, immo etiam miracula, impetrare possint. Audientes igitur diversos inconsuetos eventus, auxilio Mariae patratos, derident et opprobrio afficiunt tum ipsa facta tum eos qui ea agnoscunt et annuntiant, immo omnes, qui singulari devotione erga Immaculatam Virginem flagrant.

Alii, scrupulosi nempe, sunt in rebus parum versati. Ignorant omnino amorem Iesu erga Mariam et Mariae erga Filium Suum Divinum. Miseri numquam profundius cogitaverunt de proprietatibus perfectionibusque amoris filii erga matrem suam et matris erga filium. Timent igitur, ne peccent nimis affectuose Mariam amando. Putant se Mariae totaliter fidendo Iesum Christum relinquere, ab Eo discedere, tristitiam Ei afferre et gloriam Eius diminuere.

P. Georgius

Quemadmodum Immaculata Virgo ad animos catholicorum conformandos valeat

Omnibus Christi studiosis id est omni modo agendum, ut totos et totaliter Christo in servitium Dei se reddant, ut omnes suas cogitationes, consilia et facta ad Deum referant omniaque Ei humillime et concordissime committant. Itaque omnibus catholicis omnis opera est adhibenda, ut sua vita et physica et spiritualis recte praeceptis Christi congruat. Tum vero unusquisque catholicus vere christianus debet „omnia renovare in Christo”, id quod tam pulcherrime a Summo Pontifice Pio X dictum est. Hoc autem praeceptum in totaliter Deo oboediendo, in voluntate hominis mandatis Dei adaptanda consistit. Nam homo in Christo renovatus totus gratia Dei expletus est ita, ut iam dici possit in eo Christum vivum vivere eiusque facta regere.

Qui hominem vere Christianum educare studet, is non solum corpus verum etiam animam informare debet. Qui animam suam apte informaverit, ei etiam corpus animae suae aptum eveniet. Quomodo autem animam hominis divinis moribus imbuere atque clariorem facere possumus?

Haec prima est quaestio summique momenti, si de educatione christiana agis, id est expetis, ut hominis mores secundum Christi divina praecepta conformes. Gratia igitur Dei homo quasi sanctificatur, clarior ac Dei simillimus fit. Ergo in hoc statu est, quo ante primum peccatum beatus fuerat. Gratia autem Dei homo rursus inter Dei filios numeratur, ex quorum gremio peccato quolibet gravi commisso necessario pulsus est.

Hic licet commemorare illam gratiam Dei sanctificantem maiora etiam secum trahere ac efficere.

Et rursus si de anima christiane educanda agimus, id quoque me-minerimus Immaculatam pariter hac in re singularem in modum aucto-rem illius gratiae sanctificantis fuisse, quoniam ex Eius sanguine Spi-ritus Sanctus corpus Filii Dei effecit. Maria fuerat quoque prima om-nium creaturarum gratiarum et virtutum omnis generis plena propter futura merita Jesu Christi - nostri Salvatoris. Atqui non aliter Eam Archangelus Gabrielus nisi ita salutavit: „Ave gratia plena”. Imma-culata igitur Virgo ut Mater Christi, qui nobis omnibus gratias meritus est, utque „vas plenum omnium gratiarum Dei” – est altera et prox-ima Deo Dispensatrix gratiarum coram Deo. “Candor est enim lucis aeterne et speculum sine macula”.

Cum vero gratia Divina quasi fudamentum conformandae animae sit, quae, ut iam supra dictum est, animam clariorem et Dei simillimam facit, properea dignum et iustum est nos omnes, qui animas hominum secundum Christi normam informare cupiamus, sub tutelam Immacu-latae confugere et ab Illa auxilium petere. „Omnem palmitem in me non ferentem fructum tolet eum: omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil poteritis facere”. Ioan, 15,5.

Sed quaerat quispiam, secundum quod exemplar anima humana conformanda sit. Hac in re nos artifices quarumdam artium imitari ne-cesse est, qui ad suum opus conficiendum quodam exemplari uti de-bent, si hoc suum opus pulcherrimum ac praestantissimum esse velint.

Maximus artifex haud dubie est praceptor iuvenum, praestan-tissimum autem opus habenda est immortalis hominum anima, si modo bene conformata est, et si ita dici potest, bene constructa. Namque homo, ut Scriptura Sacra monemur, ad imaginem et similitudinem Dei creatus est. „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nos-tram” Gen. 1,26. Homo tamen pluribus peccatis et vitiis implicitus et inquinatus non potest plane dignus esse, qui aliis hominibus ex-emplar et regula sit. Imprimis igitur debet homo vitiis peccatisque a praceptore animarum absolviri et liberari. Praeceptor, ut hoc subli-me opus perficiat, debet pari exemplari uti, secundum quod suum opus conformare possit.

Potestne quisquam perfectius atque praestantius exemplar indi-care, quam Mariam Matrem Dei-Immaculatam? Haec enim est sola omnium sanctorum virginum et matronarum immaculata, puris-sima atque sanctissima. Hic fas est commemorare optimum exemplar, secundum quod anima nostra instituatur ac conformetur, hominem, natura humana et moribus nobis coniunctissimis praedi-tum, esse. Iam vero Immaculata Virgo est eiusmodi perfectissimum exemplar.

Quamquam Maria a Deo super omne animal humanum supere-xaltata et singularibus privilegiis donata – tamen B. Maria est homo, hominibus orta. Merito nihil humani – vitio excepto – ab Ea alienum

fuisse existimatur. Anima Eius immaculata cum gaudiis tum doloribus per totam vitam afficiebatur. Haud quoque ignorabat omnes vitae labores cotidianaes, fame etiam et siti conficiebatur. Tum quoque omnes difficultates et aerumnas, quibus homines opprimuntur, patientissime ferebat et nihil, quid in hominum rebus geritur, ignotum Ei fuit.

Hic quaerat aliquis Immaculatam Mariam, eo quod Immaculatam, ad animam humanam conformandam aptum exemplar adhiberi non posse. Sed eiusmodi opiniones fictae et falsae existunt, si de opere reintegrando agitur. Namque opus reintegratum nunquam adaequat suum primum exemplar, quod plane nulla re superari potest. Atque vero etsi Immaculata Domina nostra est perfectissimum exemplar, quod in unaquaque specie in anima hominis conformanda perfici non potest, tamen haud dubie exemplar se praestat.


Materia, ex qua animae Christianae preeceptor opus suum efficeret studet, anima humana est. Mores autem cuiusque hominis sunt quasi fundamentum, in quo educatio uniuscuiusque hominis posita est. In moribus omnis educatio et institutio christiana consistere debet. Id quoque intelligimus varios esse hominum mores, ut variae sint materiae, ex quibus artifex sua opera conficit. Oportet modo hanc materiam bene discernere, recteque ea uti. Idem quoque ad educandum hominem spectat. In quo sunt mores discipuli bene cognoscendi, ut recte aestimetur atque instituatur. Sed educatio debet quodam consilio et ratione gubernari, quod autem consilium gratiam Dei consequitur, ideoque et ipse preeceptor atque animarum rector hac quidem Dei gratia expletus esse debet, ne in suis operibus perficiendis variis difficultatibus et impedimentis opprimatur, utque suum opus ad prosperum finem perducatur. Optimum autem auxilium et incitamentum laboris dat hominibus Immaculata Mater Dei, quae tota gratiae ei virtutum plena est.

Postremo sed quidem praestantissimo loco in animis christianorum conformandis ipse educator ponendus est. Qui quidem preeceptor simillimus est artifici, qui etiam opus suum ex dura materia efficit. Quis autem in eiusmodi preeceptores, artifices Divino ingenio praeditos, numerari potest? Omnes homines possunt hoc munere fungi, sed imprimis ii, quos Deus maxime ad id opus perficiendum convocavit – hi sunt parentes. Deinde nominandi sunt ei, quibus Dominus noster Iesus Christus mandavit, ut in omnem plagam totius orbis terrarum proficiscantur et homines edoceant – sacerdotes dico.

Qui autem ut impositum sibi negotium rectissime praestent, ipsi gratia Divina pleni esse debent, ut quam plurima beneficia Dei iis tribuant, quos in tutelam suam amplexi sunt. Sed unde hauriant capiantque has omnes vires gratiasque sibi necessarias? Responsum dilucidum ac facillimum: ex hoc fonte, qui summa multitudine gratiarum Dei expletus est, id est haec omnia nobis ab Immaculata petenda sunt.

P. Niezgoda

Pietas erga B.D.V. Pii Papae XI



„At si omnium virtutum chorus in sacerdotali animo virescat opportet, sunt tamen quaedam, quae peculiari modo sacros administros addecent. Imprimisque pietas... Quae profecto, tametsi ad caelestem Patrem potissimum erigenda est, nihilo secius in Deiparam etiam Virginem feratur; eam enim sacrorum ministri incensiore quodam caritatis studio, quam laicorum ordinis homines, idcirco adamare debent, quod, ut rationum vincula, quibus sacerdos cum Iesu Christo coniungitur, arctiora sunt, ita necessitudines, quae Mariae cum Divino Redemptore intercedunt, impensiores quidem exstant“. Ita scribit Summus Pontifex Pius XI in litteris encycl. „Ad catholici sacerdotii“ (AAS. 1936, p. 23 s.). Et non solum verbo hanc pietatem commendabat, verum etiam proprio exemplo mirifice promovebat.

Longum est omnia monumenta egregii cultus Summi Pontificis erga Divinam Matrem enumerare, satis erit nonnulla indicare.

IN VITA PRIVATA

Domi iam paternae Beatam Virginem colere praecipue didicit. Saepe in litteris Pontificiis dulcissimum hunc periodum vitae suae in memoriam re-



vocat, v.gr. in epist. ad Moder. Generalem Ord. Carmelitarum dicit (AAS. 1922, 274): „Petis tu quidem a Nobis, ut... religionem in Virginem Mariam a Monte Carmelo... omnibus quotquot sunt per orbem catholicis commendemus. Hisce iisdem litteris ac libenter admodum id facimus. Almam Dei Matrem, quam a pueris amamus impense, placet hoc etiam demereri pietatis testimonio atque ea auspice initia ordiri Pontificatus Nostri“.

Similiter in epist. ad P. Card. Gasparri, quem Legatum misit ad transvehendam Lauretum B. Mariae V. novam iconem a se benedictam aureoque diadema redimitam (AAS. 1922, 544).

Antequam novum opus perficere constituit, primum semper benedictionem et benevolentiam Matris Dei implorare studuit. Itaque Visitator Ap. in Polonia factus imprimis Sanctissimam Matrem in celeberrimo Sanctuario Częstochowiensi invocat et postea gravissimo munere Visitatoris Ap. inter clamores nondum extincti belli magno cum fructu fungitur. Item Sanctuarium Lourdense tamquam humilis peregrinus visitat, ubi ab Immaculata Virgine anima confirmatus, alacer solemnem ingressum in suam archidiaecesis Mediolanensem facit.

Die itineris ad conclave, in statione currus ferrei Mediolani, rosae albi coloris oblatae ei sunt tamquam faustum omen cum verbis: „huius coloris erit vestis Eminentiae Vestrae“. „Nequaquam, — respondit Emin. Cardinalis — colorem mantelli B. M. V. prae se ferunt, ergo ad capellam Mariae V. eas portate“.

Praeter rosas materiales omni die B. Virginis rosas spirituales offerebat, Rosarium nempe Mariale, etiam annis, quibus sollicitudine atque cura omnium ecclesiarum opprimebatur; laboriosum enim diem Pius Papa XI

recitatione una cum familiaribus Rossarii claudebat.

In sacello Paulino adhibere solebat cum mira animi suavitate supplicationem illam, quae die octavo mensis Maii et prima Dominica mensis Octobris in toto fere orbe terrarum quotannis haberi solet in honorem B. M. V. (cfr. epist. ad Card. Silj. die 14.IV. 1925).

Etiam tempore ambulationis pomeridianae in hortis Vaticanis salutare B. M. V. non praetermittebat, sicut ipse scripsit ad episcopum Tarbiensem et Lourdensem (die 3.XII. 1923, AAS. 1924, 14): „... num quisquam ignorat. opera item tua, Cryptam ad Lourdensis istius exemplum, de consensu fec. rec. successoris Nostri Leonis XIII, in hortis Vaticanis exstructam? Eo cum cotidie ambulamus, vix dicere attinet quam iucunde, quam pie, in loco consistentes. Matrem sanctissimam carissimamque salutemus; atque tum Nobis videmur in civitate illa veluti adesse, et suavissimis animi Commotionibus, quae ibi abhinc tres annos percepimus, iterum iterumque afficimur“.

Dolore oppressus ad V. Mariam mentem anno praeterito die 8 Decembris dirigebat maximos dolores sentiens suis familiaribus nuntiavit, se contentum esse pati in splendoribus Immaculatae.

LITTERAE ENCYCLICAE

Variis in actis, sive constitutionibus, sive litteris, sive „motu propriis“, ubicumque occasionem inveniebat, dulce nomen Mariae ponebat. Ac praeterea binae litterae encycl. ad sunt, ubi de argomento Mariano ex professo tractat: „Lux veritatis“ die 25.XII. 1931 atque „Ingravescentibus malis“ die 29.IX. 1937 datae.

Primae litt. encycl. oecumenicam Ephesinam Synodum quindecim ante saeculis celebratam commemorant ac

late de maternitate B. M. V. agunt. Liceat hic quoddam afferre: „Ipsa (B. M. V.) — ita S. Pontifex — ex hoc quod humani generis peperit Redemptorem, nostrum quoque omnium, quos Christus Dominus fratres habere voluit, quodammodo exstitit benignissima mater... Ex quo fit, ut ad eam praepotenti quadam impulsione fera- mur, ut nostra omnia — gaudia scilicet, si laetamur; aerumnas, si angimur: spes, si ad meliora tandem emer- gere nitimur — fidentes eidem con- credamus... Incensiore igitur studio, in praesentibus, quibus afficimur, necessitatibus eam adeant omnes; ab eaque instanti supplicatione contendant, ut exorato Filio, aberrantes na- tiones ad Christiana redeant instituta et praecpta”...

Litterae encycl. „Ingravescentibus malis“ sacrum B. M. V. Rosarium tamquam praecipuum ac peculiare instrumentum in variis supplicatio- nibus, quae utiliter Deipare Virgini admoventur, monstrant. „Nolumus hic silentio praetermittere — ecce verba Pii XI — ipsam Sanctissimam Virgi- nem, nostris quoque temporibus, hanc orandi formulam impensissime com- mendasse, cum in Lapurdensi specu se conspiendam dedit, ac candidam animo puellam exemplo suo eius reci- tationem docuit. Cur igitur non omnia speranda nobis sint, si rite, si sancte, ut addecet, hac ratione caelesti Matri supplicemus“?

LITURGIA

Litterae encycl. „Lux veritatis“ clauduntur iucunda adhortatione: „Cupimus, ut liturgicum non desit saecularis huius commemorationis (oecumenicae Ephesinae Synodi) monu- mentum, quod ad pietatem conferat erga summam Dei Parentem in clero populoque refovendum; quapropter... iussimus... ut Officium ac Missa de divina Maternitate edantur, ab uni- versa Ecclesia celebranda“.

S. Rituum Congr. sine mora voluntatem R. Pontificis implevit et iam die 6 Januarii a. 1932 editum est de- cretum, quo novum festum Materni- tatis B. M. V. die 11 Octobris sub ritu duplicitis II classis constitutum est.

INDULGENTIAE

Summus Pontifex suam erga V. Mariam devotionem larga concessione indulgentiarum saepius monstravit.

Die 4.IX 1927 indulgentia plena conceditur recitantibus Mariale Rosa- riuum coram SS. Sacramento ad publicam fidelium adorationem expositum vel etiam in Tabernaculo adseratum (AAS. 1928, 376 s.). Die 29.IX. 1930 (AAS. 1930, 292) concessum est fide- libus ritus rutheni, ut ipsi lucrari pos- sent indulgentias recitationi Rosarii Marialis adnexas, quamvis salutatio angelica in eorum rito differat ab illa ritus Latini ac diversa ratione enun- tiari soleant respectiva mysteria. Concessionem hanc postea (31.I. 1931, AAS. 1931, 88) ad fideles ritus byzan- tini slavici extendit.

Alio etiam modo beneficia ex reci- tatione Rosarii profluentia diffusit, scilicet permisit, ut quoties vel causa operis manualis vel propter aliam rationabilem causam oriatur impedimentum, quominus, iuxta praescriptio- nes, in manibus gestari queat corona cui accessit benedictio ad lucrandas indulgentias SSmi Rosarii. possint cuncti fideles easdem lucrari, dummodo recitatione durante, secum quo- modocumque coronam deferant (9.XI. 1933, AAS. 1933, 502 s.).

Varias preces iacularorias, invoca- tiones, orationes, pia exercitia lon- gum esset hic proferre, quae vel ex novo indulgentiis durante glorioso Pontificatu Pii XI ditatae sunt vel opportune recognitae¹).

¹⁾ Vide: Preces et pia opera... indulgentiis ditatae, Romae 1938 pag. 184—303, 450, 455 s., 462—466, 474—476, 479, 554—556, 563 s.

Peregrinationibus ad sanctam Laurentiam Domum quaedam privilegia indulgentiasque tribuit. praeter ea quae peregrinationibus in Palaestinam et ad Sanctuarium Lourdense per litteras Ap. die 17.I 1905 datas concessa sunt (6.VIII 1936, AAS. 1937, 52, ss.).

APPROBATIO NOVARUM RELIGIONUM

Religiones pietate singulari erga V. Mariam ardentes, quam maxime actione sua ad diffundendum cultum Marialem adiutorium praestare possunt. Pius XI plus quam 48 Congregationes mulierum et 7 Congregationes virorum sub titulo B.M.V. vel laudavit. vel approbavit. vel constitutiones ad tempus aut definitive confirmavit. Praeterea constitutiones antiquorum Ordinum vel Congregationum ad normam Codicis J. C. reformatas approbavit, veluti constitutiones Servorum Mariae. Sororum a Visitacione B.M.V., Missionariorum Oblatorum B.M.V. Immaculatae, Missionariorum Filiorum Immacul. Cordis B.M.V., Sororum Filiarum Immac. Concep. B. M. V.

Quot approbationes tot occasiones ad demonstrandam maximam devotionem summi Pontificis erga Caelestem Matrem. Satis est aliquot de creta in commentario officiali Sedis Ap. publicata percurrere. (v. gr. AAS. 1926.138, s.; 1928.224 ss., 250 ss. 341 ss.).

TEMPLA B. M. V. DEDICATA

Non solum corda mortalium sed et varia monumenta gloriam Mariae celebrare debent. Quis numerare potest ecclesias in universo mundo pia manu in laudem B. Mariae Virginis erectas? Non unam earum devotio christiana nomine sanctuarii appellavit. Pius XI titulo basilicae minoris 88 templo B. M. V. sub vari-

is titulis dicatas insignivit et 3 ad dignitatem ecclesiae collegiatae evexit et ita etiam splendorem cultus Mariensis auxit.

CAELESTIS PATRONA

Beatissima Virgo omnium praepotens apud Deum Patrona et Mediatrix ab omnibus catholicis iure predicatur, tamen non desunt nationes, civitates, societas quae speciali modo Almam Dei Genitricem suam Patronam nominare, cultu liturgico celebrare, in necessitatibus invocare desiderant.

Iam primo anno sacri Principatus Pii XI B. M. V. in Caelum Assumpta Galliae Patrona praecipua rite electa declaratur et confirmatur (AAS. 1922, 185 ss.).

Anno 1931 B. M. V. Immaculata sub titulo „Apparecida“ principalis Patrona Brasiliae constituitur, et idem Immaculata Virgo sub titulo „de Lujan“ Argentine Reipublicae, itemque Uruguayanæ et Paraguayanæ caelestis Patrona declaratur (AAS. 1931, 7 s. et 156 s.).

Nuperrime B. M. V. titulo de Guadalupe Insularum Philippinarum caelestis Patrona declarata est.

Praeterea in quinque dioecesibus B. M. V. variis titulis Patrona declarata et confirmata fuit (dioec. Remensis in Statu Nevanda Am. Sept., Nictheroyensis in Brasilia, archidioec. Rhodiensis in insula Rhodos, dioec. Brichtinoriensis in Italia atque Maitlandensis) ac Vicariatus Ap. de Kirin in Manciuria.

Non desunt et oppida, quae tempore Pontificatus Pii XI B. M. V. tamquam Patrona gloriari coeperunt, sicut civitas Alajuelensis in Costarica, oppidum Borghetto S. Spirito dioecesis Albiganensis (Italia), Sarteani intra fines dioec. Clusinae, Ibi in dioec. Valentina (Hispania), Stella dioec. Savonensis (Italia).

SOLEMNITATES

Hisce postremis temporibus ubicum que mos invaluit, magnos eventus, quorum commemoratio post plures annos advenit, solemni celebratione extollere.

Per XVII annos Summus Pontifex varios dies commemorativos cum cultu B. M. V. coniunctos in memoriam revocavit et pietatem erga Dei Genitricem commendavit. „Cum enim omnes homines filii sint, — ita in epist. ad Card. Sincero de Ephesino concilio in orbe commemorando — moriente Iesu testante, Deiparae Virginis eos omnes etiam decet de ipsius laudibus laetari“.

Iam a. 1922 in epistola ad Moderatorem Gener. Ord. Carmelitarum, labente saeculo sexto ex quo „Privilegium Sabbatinum“ vulgatum est, religionem in B. M. V. de Monte Carmelo impense inculcavit. Sequenti anno (15. VIII. 1923) scripsit ad Card. Gasquet de solemnibus quater decies saecularibus imaginis S. Mariae in Porticu (Romae). Anno sancto (11. IV 1925) epistolam ad Card. Silj. direxit in quinquagesimum annum ab inita Pompeianae iconis veneratione. Cum anniversarium manifestationis B. M. V. de Nomismate prodigioso celebraretur paterna verba ad Moderatorem Gener. Presbyterorum a Missione transmittit (22. XI. 1930). Solemnitatem commemorationis Ephesinae Synodi XV ante saeculis celebatae, in universo mundo agere imperavit (25. XII. 1930). Gratis et privilegiis aucta sunt (11. I. 1933) festa Lourdensia postquam LXXV anni praeterlapsi sunt, ex quo B. M. Virgo piae puellae apparuit Septimo exeunte saeculo, ex quo Ordo Servorum Mariae conditus est ita Priorem Gener. alloquitur (16. VII. 1933).

Quis autem dicere potest quantam habeat vim et efficacitatem ad virtutes in populo fovendas pia Christi patientis meditatio ac moerentissimae Matris memoria et commentatio?“

Saepe Pius XI ad splendorem solemnitatum in honorem B. M. V. celebratarum augendum atque pietatem suam erga Divinam Matrem ostendendam, Legatos a Latere mandare dignatus est.

P. Card. Gasparri mittitur ad transvehendam Lauretum B. Mariae V. novam iconem a S. Pontifice benedictam aureoque diadema redimitam (a. 1922), Card. Dubois, archiep. Parisiensis, ad Marialem e tota natione Conventum Carnuti indictum (a. 1927). Card. Nassalli Rocca archiep Bononiensis ad solemnia sacra iconis B.M.V. „ab Igne“ Foro Livii (a. 1928), Card. Ilundain y Esteban archiep. Hispalensis Legatus eligitur ut congressui Mariali praesideat et editionibus linguae Hispanicae et Lusitanicae Hispalim cogendo (a. 1929), Card. Schuster archiep. Mediolanensis plurimis sollemnitatibus manifestacionis B.M.V. de Caravagio (a. 1932), Card. Binet archiep. Bisuntinus ad solemnia Lourdensia (a. 1933) mittitur, etc.

Item non semel Card. Legatus destinatus fuit ad auream coronam alicui simulacro B.M.V. imponendam vel ad templum titulo B.M.V. dedicandum.

B. M. VIRGO OPEM FERT INFIDELIBUS ET DISSIDENTIBUS in gratiam Dei redeuntibus.

Pius XI iam inde a Pontificatus sui in Virginem suavissimam, tamquam in communis salutis spem, oculos animumque intentit. In conclusione litt. encycl. „Rerum Ecclesiae“ de sacris missionibus provehendis scripsit (AAS. 1926, 83): „Communibus

(Res porro in pap. 52 tractatur)

P o l s e m r e g M a



Caelestem Virginis Immaculatae benevolentiam in regnum populumque Poloniae maiores nostri quanti fecerint, nemo est qui ignoret. Etenim in ipso limine et exordio rerum suarum gestarum Polonorum gens, cum lacte christiana doctrinae amplissimum cultum Dei Geneticis hauriens, tam pio et vehementi amore eam prosecutus est, ut brevi Polonia verum Mariae regnum evaserit. Quod primum in animis civium cuiusvis ordinis, professionis et classis factum est. deinde suprema auctoritate publica confirmatum. Nam si veterum annalium monumenta perscrutari volueris, innumerare invenies documenta pietatis ac studii universae Poloniae in Virginem beatam. Vetusissima in terra nostra tempora, quae primis regni temporibus condita sunt, ut templum in insula Ostrow lacus Lednica, quod uxori Miecislawi I, nomine Dabrowska, tribuitur, et multa alia saec. XI et XII fundata. B. Mariae V. dicata sunt. Antiquissima linguae monumenta — carmina sunt, preces et orationes in honorem Eius composita, sicut praeclera illa „cantilena caelestibus mysteriis plena“, ut dicebant veteres quae verbis „Deipara Virgo“ incipit, quae velut oraculum Regni Poloniae facta est¹), quam robur Poloniae ante pugnas et proelia ore fundebat impavido, quam sollemnis faustis que Reipublicae diebus „cum ingenti iocunditate vulgus cum clero decantabat²), quam denique summis extollunt laudibus recentissimi rerum scriptores litterarumque periti, „miraculum verbi“ appellando³). Quantum vero „Matrem pulchrae dilectionis optimi nostri poetae dilexerint, pulcherrima eō-

onia
per
num
iae.



rum carmina, quibus laudes Mariae canunt. demonstrant. Longum est enumere omnia a carminibus Nicolai Sęp Szarzyński, Ladislai de Gielniow, Simonis de Lipnica, Matthiae Serbievii, Bartholomei Zimorowicz usque ad gloriosas paginas patriae valutum Mickiewicz, Słowacki, Krasinski, qui mira arte suum quisque amore in Angelorum Dominam manifestarunt. Nec designati sunt ad pedes Mariae se esse prosternere, qui scientiae omnisque generis studio liberarum artium se dederunt, ut Academia Cracoviensis eiusque celeberrimi magistri et discipuli, inter quos Nicolaum Copernicum pium Mariae cultorem commemorare iuvat.

Quod si B. Mariae Virginis cultus tam longe lateque per Poloniam propagatus est et tam altas radices in animis civium egit, id non immerito curae et studio cleri monachorum religiosisque familiis tribuitur, qui omnes maxima semper pietate Virginem Immaculatain amplectebantur.

Nil igitur mirum, quod et ipsi reges ducesque Poloniae vota populi perpendentes et pro sua quisque in Matrem Dei religione, eam veluti Patronam ac Reginam Poloniae non semel declaraverunt ac invocaverunt. Sed illa nimis antiqua praeter eo, quod et Miecislaus I regnum suum Mariae dedicasse fertur, et filius eius Boleslaus Chrobry „Magnam suam“ appellavit, et Vladislaus Łokietek „Virginis gloriosae Mariae, ut scribit Długosz, implorabat patrocinia“ et multi alii; sufficit in memoriam revocare celeberrima vota Joannis Casimiri, Regis Poloniae, quae die I Aprilis 1656, Leopoli, coram veneranda Imagine

B. Mariae, Matris Gratiarum emisit, vovens se Mariam in Patronam Regni suorumque dominiorum et Reginam populi sibi commissi eligere velle; iuravitque nomine suo, senatorum et populi se pro virbus honorem et cultum Mariae. Reginae Poloniae, in terris suis propagaturum, et ab Apostolica Sede concessionem festi pecularis, hoc factum spectantis, procuratrum. Ab hoc momento populus Poloniae Beatissimam Virginem, cui die 8 Septembbris 1717 a. in praecipua eius sede, Claro scilicet Monte, solemniter coronam seu diadema regni imposuit, ita in universa re publica colere ac honorare coepit, ut ne temporibus quidem, quibus Polonia in aliorum servitutem redacta fuisse, ab eius plenissimo cultu in quantum fieri potuit, discesserit; immo sub eius praesidium iugiter configerat invicta sperans Mariam sibi libertatem restituturam esse.

Nec aliter factum est. Si enim quaereres, quodnam tempore servitutis maximum fomentum amoris in res patrias ac desiderii libertatis recuperandae fuerit, quodvde incitamentum ac praesidium huius amoris et desiderii diebus, quibus rupta sunt vincula, sine dubio pietatem populi erga Reginam Poloniae invenies. Nam et hymnus nationalis cum cani interdicteretur, in eius locum cantio quaedam ad „Matrem misericordem“⁽⁴⁾) eiusdem modulis cantanda substituta est. Quis autem nostrum non meminit, quantum ad amorem patriae excitandum et augendum contulerit dies 3 Mai. celebratus quotannis prae- certim tempore Magni Belli maximam partem ante aras Reginae Poloniae? Ecquidem cum primis Poloniae vindicatae annis Częstochoviae sub radicibus Clari Montis degerem, tantam hominum multitudinem, peregrinorum more undique confluentium ad pedes Matris conspicere solebam, ut manifestum evaderit mihi et omnibus. Reginam Poloniae denuo in regno suo rerum potiri velle; et num-

quam ex animo meo deficiet memoria peregrinorum Silesiae (quae tunc nondum patriae restituta erat) Silesiorum dico, qui turmatim et frequenter Claram Montem petentes, ibi se Polonus esse recordabantur et ibi veterissimis carminibus Marianis in avita lingua cantatis quasi e somno excitata eorum conscientia iugum servile quamprimum excutere et sub pallium unius Matris redire vovebant. Qui ut ego toties eos ante thronum Mariae vide- rit prae gaudio lacrimantes et manibus ad iurandum extensis verba s.d. „Rotae“ cantantes: „Numquam prodemus terram hanc... Sic Deus adiuvet nos...“ huic certo persuasum est, Silesiae recuperationem Mariae Claramontanae in primis adscribendam esse.

Sed mox maiore quodam eventu ostensus est, et populum Poloniae omnem spem semper in caelesti Patrona sua ponere, ei Mariam numquam populo suo deesse. Dum enim hostis christiani nominis anno 1920 terras Poloniae ita invasit, ut repente ante portas Varsoviae apparuerit, non sine interventu Mariae, ad quam tota Polonia in hoc novo „diluvio“ cucurrerat, victus est, cum prima et potissima Victoria ipso Assumptionis die relata sit; unde et populus victoriā hanc nomine „miraculi ad Vistulam“ appellavit. ac huius causa Mariae, Christianorum Auxilio, nova templa votiva dedicavit.

His igitur multisque aliis persensis persuasum est, immo exploratum Polonis, suam Rem publicam in nova hac vita sicut in illa priore non nisi Maria regnante prosperam esse posse. Ut olim Constantino Imperatori Romano de Crucis vexillo dictum est: „In hoc signo vinces“, ita, crederes, Poloniae de Mariae protectione a Deo statutum fuisse, non dari scilicet nobis in alio aliquo salutem, nisi in nomine Mariae. Quapropter impetrato a Pio XI, qui munere primi Nuntii Apostolici in Polonia fungens, pietatis populi nostri

in B. Virginem ac vicissim benevolentiae eius in nos testis et auctor fuerat, sollemni festo Reginae Poloniae, die 3 Mai una cum festo nationali celebrando, Polonia Mariae devota sub eius regimine et in eius servitio vivere ac operari coepit.

Si nunc viginti post annos a libertate recuperata interrogemur. quo usque cultus B. Mariae Virginis in nova Polonia pervenerit, et in quantum vita Poloniae tam publica, quam privata ad normam religionis ac pietatis in Mariam instituatur, respondere oporteat, populum nostrum quasi quodam instinctu naturali et avito ad Reginae suae aras ferri, Illi curas suas et sollicitudines committere, coram Illa optima consilia inire, cum Illa gaudia sua et triumphos celebrare. Difficile est in brevi compendio omnia, quae ad cultum Beatissimae Virginis in Polonia referuntur, quaeve in vita publica sub eius auspiciis fiunt, vel summatim attingere. Quis enim numerare potest templa, sacella, monumenta in honorem Matris Dei per totam Polonię exstructa? Quis colligere libros, libellos, commentarios, et omne genus scripta periodica, quae in vulgus eduntur, ut regnum Mariae dilatetur, ut eius cultus et amor in subditis augeatur? Quis describat festos dies, sollemnitates, ritus ac caeremonias, sacras functiones et alia devotionis officia, quae in Polonia tantum celebrantur, ut e. g. devotiones mensis Mai, quorum omnium pietas, pulchritudo et frequentia magnam sine dubio vim amoris et addictionis populi erga dilectam suam Reginam continere ac demonstrare dicenda est?

Sed omissis iis, quibus enarrandis impares sumus, nam infinita est rerum materia et copia uberrima, licet nobis pauca proponere, quae in regno Mariae vitam societatis potius ac rei publicae spectant. Procul dubio caput ac centrum huius regni

Mariae in Polonia remanet civitas Claromontana. Ad quam beatam Sedem, innumera civium milia, piorum peregrinorum more utroque clero duce quotannis contendunt, non solum ut Matri ac Reginae suea honorem debitum reddant, eius tutelae se suosque commendent, sed etiam ut bono rei publicae consultant, ut hostiles nomini christiano machinationes detegant ac destruant, ut de iis, quae Mariae subditis et filiis in vita civili ac sociali agere aut aggredi deceat, saluberrima ineant consilia. Sic instituta est ex tota Polonia peregrinatio nobilium, qui numero 4.000 hominum venerunt (a. 1937), peregrinatio mercatorum (12.000), pistorum (5.000), magistrorum scholarum (20.000), denique Actionis Catholicae sodalium: virorum (70.000), mulierum (50.000), adolescentium (100.000) Sed inter has peregrinations indelebili memoria eminet ille iuventutis academicae concursus die 26 Mai 1936a., quo 20.000 iuvenum, adstantibus vero 100.000 hominum publica ac sollemnia vota Dei Genitrici vorerunt, quam Patronam et Matrem Academicae Iuventutis Polonae elegerant, iurantes et promittentes se firmiter ac fideliter Romanae Ecclesiae fidem ac Sedi Apostolicae oboedientiam servatuos, se in vita privata, publica, sociali, nationali et civili ad normam legis divinae gesturos, honorem ac pietatem erga Mariam Sanctissimam propagatuos, denique quotannis tamquam filii ad pedes Matris suae dilectae venturos. Haec aut similia vota etiam aliarum conditionum homines in peregrinationibus suis emiserunt.

Silentio tandem praeterire non possumus, quod et ipsi Poloniae Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi ad consilia capienda Claro Monte conveniunt, et prima rei publicae Poloniae Synodus Plenaria in aede Claromontana coacta est.

At obliviscendum non est, praeter Częstochoviam, quae velut principalis thronus Mariae in Polonia est, multa alia sacra, veneranda, conspicua, miraculorum etiam fide confirmata domicilia Beatissimae Virginis in Poloniae terris haberi, sicut Calvariam Zebrzydoviensem Calvariam ad Przemyśl, Leopolim in parte meridionali, Piekary in Silesia, Acrem Portam Vilnae, Swarzewo ad oras maritimas, et alia plurima, ex quibus unicuique regioni Virgo Maria dominatur et patrocinatur. et ad quas dena et centena piorum cultorum milia nulla fere interposita mora peregrinantur.

Finem huius brevis conspectus ponendo, animadvertere convenit, nos ne verbo quidem attigisse ea, quae cul-

tum Mariae, ut Virginis Immaculatae, respiciunt, quaeque a religiosorum ac religiosarum familiis, congregationibus, sodalitatibus et piis coetibus sub Mariae vexillo militantibus, aguntur. Quae cum et magni momenti sint et scribendi ampliorem praebeant materiam, alio loco tractanda relinquimus.

K.K.

1) Sic nominal canicum „Bogarodzica“ Johannes Laski in Statuolo legum Poloniae a. 1506 edito.

2) In grallarum actione a. 1440 ob. electionem Vladislai Varnensis in regem Hungariae. Cod. epist. XV sacc. II p. 415.

3) Conf. Leś, Bogarodzica, pierwszy polski hymn narodowy, Lublin, 1922, Pilat, Historia literatury polskiej t. I, cz. 1, p. 278. J. Birkenmajer, Zagadnienie autorstwa Bogarodzicy, Gniezno, 1935 etc.

4) Linqua vulgari: Serdeczna Matko.

(Conf. argumentum articuli e pag. 47.)

autem benigne ad rideat faveatque coeptis Sanctissima Regina Apostolorum Maria, quae, cum homines universos in Calvaria habuerit materno animo suo commendatos, non minus eos fovet ac diligit, qui se fuisse a Christo Iesu redemptos ignorant, quam qui ipsius redemptionis beneficiis fruuntur feliciter“.

Ac in Ap. encycl. „Ecclesiam Dei“ in natali CCC S. Iosaphat Mart. haec verba leguntur (AAS. 1923, 581 s.): „Alterum unitatis reconciliandae vinculum cum Orientalibus Slavis in eorum singulari studio erga magnam Dei Matrem Virginem ac pietate continetur, eos ab haereticis compluribus seiungens, nobisque efficiens propriores... Eam igitur Benignissimam Matrem... invocemus, ut dissidentes fratres ad salutaria pascua deducat, ubi Petrus, in successoribus suis nunquam deficiens, Pastoris aeterni vicarius, Christiani gregis et agnos et oves pascit universos ac moderatur“.

Solemnia occasione commemoratio-
nis concilii Ephesini hac etiam ratione
promovit, ut per Mariae triumphum
Orientis populi ad sinum denique Ro-
manae Ecclesiae revertantur (cfr.
epist. ad Card. Sincero die 25. XII.
1930).



Nomen Pii XI nobis „Militibus Im-
maculatae“ imprimis carum est, ipse
enim piam Unionem „Militiae Im-
maculatae“ approbavit et primam sedem
„Militiae“ ad sedem Primariam
eveexit.

Exemplo Summi Pastoris Ecclesiae
attracti, adeamus cum fiducia thronum
Mariae, thronum misericordiae
et gratiae. „Ipsa enim Dei Parens,
caelestium administra gratiarum, in
celissimo potestatis et gloriae fastigio
est in caelis collocata. ut hominibus
per tot labores et pericula in terris
peregrinantibus patrocinii sui subsidi-
um impertiat“ (Pius XI, epist. ad.
Card. Schuster, die 15.VIII. 1932).

J. B.

De partibus Immaculate Virginis in formando „novo homine”

II

(*Ut Venerabilem Clerum in contionibus elaborandis adiuvemus, sub hoc titulo viva exempla e vita contemporaneorum sumpta hanc rem dilucide demonstrantia ponimus.*)

En litterae cuiusdam sodalis M. I. quas nuper accepimus, quaeque miram conversionem patris eius describunt! — Res agebatur a. 1911 in Russia, in pago Gniewoń.

Pater meus etsi specie bonus vir atque frugi nescio, quam ob causam a plurimis annis neque ecclesiam frequentabat neque ad S. Sacra menta accedebat. Octavo mense post mortem matris, quae vitam religiosam ac piam duxerat singularē in morbum incidit. Cicatrices nempe in cruribus eius oriebantur, quae gradatim usque genua attingebant. Cum morbus ingravesceret uxor fratris mei, quae una cum patre habitabat sacerdotem advocavit. Frustra tamen! Aegrotus indignatus est vehementer sacerdotemque illico abire iussit. Tunc me quoque, ut patris curam subirem, litteris admonuit. Quibus acceptis statim sine mora adveni et quae aspexi euidem horribile fuit! Pater meus etsi in lectulo iacere nequibat, attamen in lectulo manebat solummodo demissos pedes scabello innixos tenens.

Primum cognovit me, post breve tamen tempus a sensu mentis abstrahebatur, verbaque sine ordine faciebat. Iam ut ante mortem peccata sua confiteretur nullam spem restare intellexi. Sed patrem meum singulari pietate B. Virginem Mariam s.d. Armenam coluisse sciebam, cuius imago a plurimis annis in domo nostra asservabatur. Pater autem meus unoquoque sabbato et festo lampadem ante imaginem pendentem accendebat, oliva linamentaque solummodo ei curae erant. Quam imaginem cum in cubiculo non conspexisse, valde mirata, ubi esset, fratriam interrogavi.

Quae, imaginem in alia parte domus, olim a parentibus inhabitata at nunc deserta pendere respondit. Quo statim gressus verti atque cum tristitia pulvrenulant et oblitam imaginem dilectissimae Matris Mariae inveni.

• Quam mundatam simul cum lampade in cubiculum ubi pater cubabat intuli, in opposito pariete suspendi, lampademque accendi. Quo facto oculi aegroti laeto lumine resplenderunt: ex hoc tempore assidue ad imaginem vertebarunt, aegrotus autem leniter arridebat, sensum tamen mentis non recuperavit.

Post aliquot dies nominatim me vocavit (usque ad hunc diem non me cognoscet) et de dolore suo questus est.

Hac occasione usa eum consolari conata sum, optimam Matrem misericordia eius captam iri, modo hoc ab Ea deprecaretur. Libenter concessit et pro salute sua B. M. Virgini Claromontanae in oppidum Częstochowa oblationem misit.

Hic persuadendi patrem ut confessionem perageret occasio se praebebat et re vera solummodo hac conditione orationem eius exauditam iri instabam.

Non resistebat, solumque — necessariumne hoc esset? — interrogavit. Qua in re etiam longos sermones produximus: denique pater meus libenter sacram confessionem peragere constituit. Igitur sacerdotem invitavi ut vespere veniret et cum cubiculum aegroti reliquissemus, sesquihoram duravit haec confessio, post quam aegrotus simul et sacerdos collacrimati sunt. Sequenti die cum maximo amore et pietate pater S. Synaxim accepit eademque nocte hora secunda id est sabbato, die Mariae Virgini sacro, ut merces olivae ei solveretur abiit ad Eam, quae etiam hunc minimum pietatis affectum tam munificentissimo proemio, id est felicissima morte afficit.

1936a.

Ab aliquibus annis maritus meus consuetudini sese inebriandi indulgebat.

Cohabitatio cum eo intolerabilis esse videbatur. Ipsa ut vile et inutile mancipium ab eo triacstabat. Eratque mihi tyrannus miseram squalore fere inferni cohibens. Quoties enim totas noctes tempore frigido et iniquo in plateis peregi, cum domum ingredi timerem. Tunc quoque consilium notae mihi mulieris secuta, ut missa pro eius conversione legeretur curavi, eique inscio aquam de Lourdes porrei. Et ecce, Sanctissima Mater preces meas exaudivit. Nunc homo, quem quisque perditissimum habebat, omnino aquam coctam bibere destitit et est optimus maritus et pater. Excitatus est quasi ad novam vitam. Hodie vita mihi novum colorem assimi videtur. Quae olim vix somniare licuit, nunc teneo! Igitur omnes ad flicti animas et corda vestra supplices Immaculatae Virgini aperite et mihi credite, solatium et gaudium invenietis!

1937a.

In aetate puerili maximam devotionem erga B. M. Virginem in deliciis habui. Postea ut aliquid ad sustentandam vitam lucrarer, quia domus nostra penuria ad usum vitae cotidianaee necessariorum premebatur in Galliam profectus sum. Hic pravis consortiis illigatus in vitia et peccata praesertim ebrietatis et incontinentiae rui.

Ah! quae desperatio, qualis dolor cor meum mordebat, cum puerilis innocentiae recordatio in mentem veniebat. Praeterea in pessimos morbos incidi, ad quos dignoscendos ne quidem medici valebant, mihiique tam atroces atque turpes videbantur ut eos describere non audeam. Etiam ad quemvis laborem invalidus in hospitium publicum me recipere coactus sum. Quo ubi sacerdos connationalis advenit, confessionem peccatorum peregi sed sacrilege. Ac etiam antea per tres annos sacrilegas confessiones instituebam. Quorum scelerum conscientia assidue stimulabar, imo iam vitae me taederet. Cum autem patriae meae devotionisque maiane commemineram, vehementi dolore cordis afficiebar. Reverti igitur constitui in patriam, ut ibi vitam mihi adimerem.

Sed res alias evenit ac ratus sum. Statim enim ecclesiam paroeciale petivi, ubi cum maxima contritione peccata sacerdoti confessus sum et ex hoc tempore vitam honestam agere, sanctissimam legem mihi imposui.

Etiam tum Militiae Immaculatae nomen meum dedi et ex tunc demum vivere videor. Nunc hoc unum ante oculos habeo, ut semper sim fidelis servus Mariae.

Utinam omnes qui fatis agitati, nihil nisi molestias et noctem vident, quam citius portum occupent Militiae Immaculatae!

Virginibus exemplum Mariae proponitur

Sit igitur vobis tamquam in imagine descripta virginitas vita Mariae, de qua velut speculo refulgeat species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigerem, quid effingere, quid tenere debeatis, ostendunt.

Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilior Dei matre? Quid splendidius ea, quam Splendor elegit? quid castius ea quae corpus sine corporis contagione generavit? Nam de ceteris, eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente. quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: non in incerto divitiarum, sed in prece pauperum spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem sed Deum querere: nullum laedere, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, aequalibus non invidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu laesit parentes? quando dissensit a propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem; eos solos coetus viorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque praeteriret verecundia? Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis...

... Dormire non prius cupiditas quam necessitas fuit; et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus; qui frequenter in somnis aut lecta repetit. aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda praenuntiat.

Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conveniret, et hoc ipsum cum parentibus aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu; nullo meliore tamen sui custode quam se ipsa: quae incessu affatuque venerabilis non tam vestigium pedis tolleret. Ut tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem: plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat quae virtutes magistras habet: quia quidquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi a pluribus moneretur: sic omnia implebat virtutis officia, ut non tam disseret, quam doceret.

Talem hanc evengelista monstravit (Luc. I.27), talem angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, ut eam parentes dilexerint, extranei praedicaverint, quae digna fuit ex qua Dei Filius nascetur? Haec ad ipsos ingressus angeli inventa domi in penetralibus, sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet; neque enim comites feminas desiderabat, quae bonas cogitationes comites habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot archangeli, tot prophetae?

... Quid, quod annis quoque omnibus ibat in Hierusalem solemnni die paschae, et ibat cum Joseph? Ubique in virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic individuus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit.

Haec est imago virginitatis. Talis enim fuit Maria, ut eius unius vita omnium sit disciplina.

... Quantae in una virgine species virtutum emicant? Secretum verecundiae, vexillum fidei, devotionis obsequium: virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum.

S. Ambrosius, De Virginibus lib. II.

Acta SS. Congregationum

Sacra Paenitentiaria Apostolica

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

INDULGENTIA PLENARIA „TOTIES QUOTIES“ DIE II MENSIS NOVEMBRIS VEL DIE DOMINICA SUBSEQUENTI LUCRIFIERI POTEST

Summus Pontifex Pius X, per Decretum S. Congregationis S. Officii die XXV mensis Iunii a. MDCCC CXIV datum.¹ omnibus christifidelibus, qui quamlibet ecclesiam aut quodlibet publicum oratorium (vel semipublicum pro legitime utentibus) die secunda mensis Novembris pie visitavissent, plenariam indulgentiam „toties quoties“ suetis conditionibus lucrandam concessit. fidelibus defunctis colummodo applicandam.

At identidem, cursu temporis, ad hoc Sacrum Tribunal supplicationes pervenerunt, quibus postulabatur ut eadem indulgentia die quoque dominica subsequenti lucrifieri posset; idque eo consilio ut ii etiam pretiosissima hac concessione frui possent, qui die Commemorationis omnium fide-

lium defunctorum id non peregerint. Quam ad rem SSimus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI, in audiencia die X mensis Decembri a. MDCCC CXXXVIII infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, statuere ac decernere dignatus est plenariam eiusmodi indulgentiam vel die II mensis Novembris, vel subsequenti die dominica lucrifieri posse, firmis manentibus ceteris conditionibus tum memorati Decreti S. Congregationis S. Officii, tum Decreti S. Paenitentiariae quoad plenariam indulgentiam „toties quoties“ lucrandam.²

¹ Acta Ap. Sedis, vol. VI, a. 1914, p. 378.

² Acta Ap. Sedis, vol. XXII, a. 1930, p. 363.

(Ex Actis Ap. Sedis, num. 1 c.a.)

CHRONICA

Civitas Vaticana.

Eminentissimi Cardinales variis muneribus Ecclesiasticis praepositi. Nuperime a Summo Pontifice Pio XII hi viri Purpurati nominati sunt: Cardinalis Fridericus Tadeschini archipresbyterus Basilicae Vaticanae factus est, Cardinalis Franciscus Mammagi, qui paulo ante in Polonia Nuntii Apostolici muneribus functus erat, Praefectus Congregationis Sancti Concilii electus est, Cardinalis Joseph Pizzardo Praefectus Seminiorum et Universitatum, Cardinalis Massimo Massimi Praeses Comissionis codici-

bus Iuris Canonici interpretandis, Praelatus Mella di Santelia princeps Palatii Pontificialis redditus est maestro di camera, tum vero Praelati di Vignale, Confalonieri, Venini, Toraldo, Nassalli Rocca comites et socii interiorum consiliorum facti sunt.

Sanctae Ritum Congregationis decreta. Die 26 mense Martio Summo Pontifice Pio XII praesente duo decreta de Beatificandis et canonisandis causis agentia perlecta sunt, quae iam a Patre S.S. Pio XI constituta erant. Iamvero in primo decreto concessum est ad piam Dei

famulam Emiliam Devialac beatificandam aggredi posse. Quae quidem beata famula congregationem „Sororum Sancti Ioseph ab Epiphania“ dictam erexit et anno 1856 Massiliae mortua est. In secundo decreto auctoritate Sedis Apostolicae prodigia et miracula confirmata sunt, quae in actione canonisandae beatae Gemmae Galgani erant proposita. Beata Gemma Galgani sollemniter mense Septembri vel Decembri hoc anno sancta appellabitur simul cum beata Euphrasia Pelletier, quae congregationem Sororum Boni Pastoris constituit.

Pius XII — Litterarum ac Ephemeridum catholicarum Protector. Vestigia Sui summi Decessoris hic nobis imperans Summus Pontifex Pius XII persequitur, quoniam Litteris et Actis catholicis cotidianis amicissime favet.

Pius XII vere vim et auctoritatem Actorum cotidianorum intelligit et aestimat, quod saepenumero publice affirmaverat et semper asseverat. Hic fas est commemorare Pium XII, cum etiam muneribus summi Secretarii Civitatis Vaticanae fungeretur, plurimum ad ephemerides et Acta cotidiana propalam collocanda et in aedibus Civitatis Vaticanae exponenda contulisse. Eius, quoque opera et consilio magna communis internationalis Societas Catholicorum Scriptorum et Editorum facta est.

Iamvero dum internationalis Congressus catholicorum Scriptorum Romae die 24 Septembbris anno 1936 celebratur, hic nobis imperans Summus Pontifex appellavit scriptores ac ephemeridum redactores „milites fortissimos, qui Actioni Catholicae praesesse et interesse debeant, „tubas“ praeceptis et dogmatibus fidei Christianae resonantes, principes, qui in aciem ducant non solum copias, quae se defendant, sed etiam quae hostes profligent atque prorsus devincant.

200.000 coniugum a Summo Pontifice Pio XI benedicti sunt. A Pio XI Pontifice Ecclesiae Romanae Maximo ducenta milia coniugum benedictionem apostolicam acceperunt. Fas est hic commemorare singulos coniuges a Summo Pontifice haec dona accepisse: novam nuptam virginem Rosarium sacrum ex margarita effecta confectum — novum maritum autem — Numisma Miraculosum Beattissimae Mariae Virginis Boni Consilii et Misericordiae. Praeterea novis maritis dono dati erant libelli, in quibus consilia, quae ad vitam coniugalē bene peragendam spectant, quibusque nonnullae sententiae Constitutionis Apostolicae quae „Casti Connubii“ inscribitur, continebantur.

Anglia

His temporibus variarum ecclesiasticorum confessionumque principes cum Ecclesia Catholica in gratiam redire cupiunt. Nuperrime Anglicanus Archiepiscopus Canterbury in senatu Britannico publice omnes, quorum interresset, cohortatus est, ut aliarum ecclesiarum confessionumque moderatores hoc Summo Pontifice Romano duce palam profiterentur „omnia experimenta consiliaque, quae id spectarent, ut omnia ad civitatem eiusque rectores referrentur atque vim et arma in rebus gentium constituendis prorsus a religionis Cristianae praeceptis abhorrende. Confirmare possum — inquit Archiepiscopus, omnes principes moderatoresque Ecclesiae Ortodoxae Orientalis, Anglicanorum et ecclesiarum Protestantium libentissime Summo Pontifici his in rebus roganti non defuturos esse“. Hic commemorare licet haec consilia, quae id agebant, ut omnes ecclesiae confesionesque secum coniungentur, iam pridem esse suscepta. Itaque anno 1910 ab Americanis et Britannis facta est „Internationalis rebus Fidei sacra Societas“, cuius congressus anno 1920 Londini habitus est

Societati autem, quae „Reunion“ appellabatur, (haec societas id agebat, ut ecclesia Anglicana cum Catholica in gratiam rediret) iam duodecim ginta annis ante praefuit Praeses Societatis „English Church Union“ comes Halifax, pater praesentis Ministeri Rerum Externarum Britanniae. Qui quidem vir excellentissimus, cum Patris Sanctissimi Leonis XIII amicitia coniungeretur, Cardinale Mercier adiutore quattuor publicas disputationes habuit, quibus Anglicani et Catholici interfuerunt locis Malines; quae quidem disputationes admiracionem omnium moverunt. Anno 1925 Stocholmi congressus habitus est, cui sescenti legati variarum nationum, principes variarum confessionum Christianarum interfuerunt. Itaque illi congressui praefuerunt archiepiscopus Canterbury, patriarcha ortodoxae Ecclesiae Constantinopolitanus et Protestantium archiepiscopus Upsalensis Söderblom. Rogatus est quoque ut illi congressui interesset, Pater Sanctissimus Pius XI qui sane hanc rogationem non accepit. Omnia enim experimenta tentationesque, quae id spectabant, ut universae confessiones unificarentur, extra Ecclesiam Catholicam suscepta ad irritum ceciderunt, nam illo gravissimo fundamento, in quo omnis virtus et salus eiusmodi conatum posita est, id est fide et auctoritate Summi Pontificis Romani, caruerunt, qui est visibilis Christi-Dei Vicarius.

Iamvero dici potest, ut ex illis verbis supra commemoratis elucet, Summum Pontificem nunc summa auctoritate uti. Sperandum est igitur hanc orationem publice habitam ad artius cunctas ecclesias Protestantium et Orthodoxorum cum Ecclesia Catholica coniungendas collatarum esse.

Gallia

Quod donum Reipublicae Francogallorum Praesidens Summo Pontifici Pio XII dederit. Summus Pontifex Pius XII a Reipublicae Francogallo-

rum Praesidente, cum celeberrimum coronationis festum fieret, donum summo artificio confectum accepit. Est id quidem pulcherrimum artis mediae aetatis opus, parvum ex optimo aere perfectum scrinium extrinsecus inauratum et vitro metallico detectum. Hoc quidem parvulum scrinium locis, quae Limoges appellantur, duodecimo saeculo confectum erat.

Jugoslavia

Internationalis Congressus Christo Regi sacer. Labores, qui Internationali Congressui Christo Regi sacro coniuncti sunt, adeo processerunt, ut iam nunc ratio gravissimarum rerum illius catholicorum celeberrimi concilii discerni ac indicari possit. Quod quidem excellentissimum concilium diebus 25 — 30 Iulii hoc anno celebrabitur. Ac primum quidem ille Congressus sollemni celebratione in Lublanensi aede Cathedrali hora octava vespere die 25 Iulii incipiet. Dum haec celebratio habetur, eo ipso die orationem religiosam, quae inscribitur „Christus — haec et praeterita tempora secum comparantur“, reverendissimus dr Mack habebit, qui sacerdotis muneribus Luxemburgi fungitur. Postero die sollemnitas et pontificialis Missa sacra in eadem Cathedra Lublanensi hora septima mane celebrabitur. Illo quoque die peregrinatores religiosos Praeses Commissionis Congressuum Christo Regi sacerorum episcopus Lublanae, cui nomen est Rožman, alloquetur. Eodem quoque die incipient sessiones congressus, quae cotidie bis singulis diebus horis 9 — 11 ante meridiem et rursus post meridiem horis 15 — 18 habebuntur.

Die 27 Iulii autem participes congressus de rebus, quae ad iuvenes his temporibus in Christo conformandos attinent, agent, quid Jesus Christus sua in doctrina ab omnibus catholicis

cum in vita privata tum in publica
expetat ac postulet.

Hoc ipso die prima mane variis
in ecclesiis Lublanae precatio[n]es at-
que supplicationes diversis linguis ad
Deum adhibebuntur, vespere autem
duobus primis diebus coetus atque
sessiones singularum nationum fient.

Feria V die 28 Iulii tantummodo
una sessio Congressus fiet, qua de his
deliberatio[n]e fiet: „Homo profanus in
Ecclesia et eius in propaganda reli-
gionis Christianae partes“. Pomeri-
dianum enim tempus communi pleno
Concilio destinatum erit, in quo Sedis
Apostolicae Legatus atque ceteri singu-
larum nationum legati orationem
habebunt. Die 29 Iulii post matutinam
Missam Sacram celebratam et
post commune Sacramentum Eucha-
ristiae a iuvenibus sumptum celeb-
rima Missa sacra pontificalis in cam-
po aperto iterabitur ac post meridiem
Plenum Concilium fiet, in quo de-
creta Congressus promulgabuntur at-
que postremo orationes ab omnibus
variarum gentium legatis habebuntur.
Vespere autem eodem die in stadio
urbis sacrum mysterium ab actoribus
agetur.

Germania

Templa Germaniae Hitleri signis
(quae in lingua Germanica „Hacken-
kreuze“ nucupantur) ornada sunt. Mi-
nister Rerum Civilium in Germania
paulo ante edxit mandata, in quibus
de signis in ecclesiis et aedibus
ecclesiasticis ponendis agitur.

Itaque his diebus, quibus iussu con-
sili publici signa motus nationalis et
socialis, qui dicitur, in ecclesiis et
aedibus ecclesiasticis exponi oportet,
cum autem in illas dies quoddam festum
ecclesiasticum ceciderit, tum et
signa ecclesiastica et signa publica et
factionis nationalis atque socialis
exponenda sunt. Ceteras tamen aedes,
vias, fora, aras, dum processiones re-
ligiosae fiunt, signis colore pontificiali
ornari interdictum est. Pariter cum

processiones vel aliae celebrationes
fiunt, non licet signa ecclesiastica
extra muros ecclesiae pendere. Postre-
mo memorare licet istud decretum
acerime compositum esse.

**Quas leges Germani in coloniis
constituendis sequi velint:** Falsum est
Nigros cum Europaeis coniungi posse.
Quotiescumque id factum est, Nigro-
rum vires, qui dicuntur physicae, et
animus antea integer depravata sunt.
Nam Aethiops rebus humanis imbui-
tus, sane ridiculus est. Item rem om-
nem fallit, qui Nigros ad fidem Chri-
stianam convertere studeat. Nam virtus
huic generi hominum innata baptismo
in meliora verti non possunt. Neque
aliter agit, qui Nigris illis persuadere
conatur eos coram Deo eodem ordine
et honore atque homines ex Europa
oriundos esse. — Haec, quae excrispi-
mus, inveniuntur in libro, quem iussu
Germaniae moderatorum de Legibus
in coloniis instituendis, conservandis
— Günther Hecht compilavit.

Helvetia

**Vis et auctoritas Ecclesiae Catho-
licae.** In ampla gravique ephemeride
Protestantium Helvetiae, quae „Basler
Nachrichten“ appellatur, uberrime et
copiose de Summo Pontifice nuper
electo dictum est atque in ea haec in-
ter cetera scripta legimus: „Eventus
Eminentissimorum Cardinalium Con-
cilia documentum est Ecclesiam Roma-
nam ad omnia esse paratam itaque ad
decertandum. Namque ipsum Conclu-
gium (quod vulgo „conclave“ dicitur)
splendidissimum certamen eminentis-
simorum participum, qui excellentissi-
mo illi congressui adfuerunt, fuit.
Atque vero illius concilii participes
neque nimis festinabant neque nimis
cunctabantur. Omnes Eminentissimi
Cardinales tempore et alacriter con-
venerunt. Id vero signum et manifes-
tatio communitatis et universitatis
Ecclesia Cath. haud dubie existima-
tur. Multo excellentius et gravius uni-
tas Ecclesiae in hoc Conclavi se pree-
stitit, quod, ut omnibus notum est, tam

brevi admodum tempore novus Pontifex Maximus electus est. Iamvero non dubitandum est, quin hoc factum summi momenti sit atque ab omnibus catholicis sane comprobetur. Manifestum enim est Eminentissimos Consilii Cardinales universos summo consilio prudentia et auxilio Dei usos esse, omnibus profanis et privatis seiunctis secretisque. Tempore, ex quo Confoederatarum Nationum Concilium debilitari et ruere coepit, vis et auctoritas Ecclesiae Romanae Catholicae quotannis crescit etiamque paganorum et acatholicorum admirationem movet. Ratio illius rei fortasse in gubernio et auxilio Christi inest, quod Christus Summus Pontifex suae Ecclesiae praebet.

Hispania

Mons Montserrat Beatissimae Mariae Virgini consecratus. Mons, cui nomen est Montserrat, in septentriionali occidente a Barcellona situs, clarissimum Sanctuarium Marianum in Hispania exstimator. Quo in monte monasterium Patrum ordinis sancti Benedicti, ex Monte Casino, severissimae regulae erectum est. Itaque in hoc monasterio miraculosa imago Matris Dei asservatur, quae, cum Hispania a Mauris occupata esset, periiit et postea mirabili modo a pastoribus in quodam antro reperita est. Licet commemorare haec postremo saeculo nono facta esse. Dum sollemnis processio celebrabatur, illa Matris Dei imago nullo modo commoveri potuisse traditur, quod quidem ab omnibus prodigium atque supernaturale signum est approbatum. Quae cum ita essent, hoc loco templum aedificatum est. Quo in templo Sanctus Ignatius Loyola, cum eo aeger vulneribus in proelio acceptis (anno 1521) commoraretur, totam suam vitam in servitium Christi et Matris Eius Immaculatae reddere constituit, quo facto autem sua arma ante hoc miraculosum signum depositus. Tum illa Matris Dei imago

fidelibus primum ter in die monstrabatur. Nuc autem hanc miraculosam imaginem multae quoque divites matronae adeunt, quae liberos habere se volunt ideoque huc adveniunt, ut hanc gratiam a Matre Dei desiderent.

Pius monachus, ne miraculosa imago Beatissimae Mariae Virginis de monte Montserrat profanaretur, prohibuit. Haec quidem imago quam supra memoravimus asservata est a quodam Patre Iohanne, qui vestibus custodis disciplinae publicae indutis „rubros“ milites fefellit. Non multo enim ante quam „rubri“ exercitus in Catalonia profligati sunt, rubri milites pretiosissimum signum una cum aliis artificiosis operibus quodam scrinio condiderunt, ut illud signum inde auferretur atque in alium locum transportaretur. Haec res tamen eos fefellit, quoniam prorsus non sperabant hoc signum tantummodo exemplar fuisse, quod Pater Iohannes iam pridem loco archetypi supposuit.

Hispaniae catholici magnam pecuniam ad rem missionariam exercendam ultro dant. In Hispania plurimi catholici multarum urbium et vicorum, quae a rubris exercitibus occupata erant, multum pecuniae ad rem missionariam bene exercendam ultrodant. Oppidum Guernica, quod mille incolas habet anno 1937 62 pesetas dedit, anno 1938 autem 337,70 pesetas. In urbe Oviedo in Dominica rebus missionariis sacra 6389 pesetae collatae sunt.

Praterea ad Congregationem de Fide Propaganda multa dona mittuntur atque ad Papale Sancti Petri Apostoli Opus dilatandum, cuius opes sacerdotibus indigenis destinatae sunt.

Polonia

Christiana Academicorum Sodalitas Leopoli in Polonia iam 50 annos viget. Hoc anno — mense Martio — iam 50 anni sunt praeterlapsi, ex

tantummodo in religione Christiana medicamentum horum malorum positum esse. Nos Mahometani firmiter credimus praesentem opinionum perversitatem christianismo usui esse, praesertim cum hodie viri principem locum in rebus publicis obtinentes opiniones paganismo coniunctissimas profiteantur.

Excellentissimi cinematographici actores — boni catholici sunt.

Archiepiscopus Cantwell, dioecesis Los Angelos praepositus, nuperime publice nuntiavit excellentissimos actores cinematographicos ut Spencer, Tracy, Bing Crosby, Magdalena Car zoll aliosque catholicos recte pracepta Christi exsequentes esse.

MILITIA IMMACULATAE (M. I.)

„Ipsa conteret caput tuum“. Gen. III, 15.

„Cunctas haereses Sola interemisti in universo mundo.“ Off. B. M. V.

I — Finis: Quaerere conversionem peccatorum, haereicorum, schismaticorum, iudeorum etc. et praesertim massonum et sanctificationem omnium, sub patrocinio B. M. V. Immaculatae Eaque mediante.

II — Conditiones: 1) Totalis suimetipsius B. M. V. Immaculatae oblatio, tamquam instrumenti in immaculatis Eius manibus.

2) Gestare „Numisma Miraculosum“.

III — Media: 1) In quantum fieri potest, saltem semel quotidie Immaculatam iaculatoria oratiacula: „O Maria sine peccato concepta, ora pro nobis, qui ad Te recurrimus et pro omnibus, qui ad Te non recurrent et praesertim pro massonibus“, exorare.

2) Zelo et prudentiae singulorum relinquitur, ut unusquisque secundum conditiones status et temporis promoveat finis assecutionem; praesertim vero commendatur „Numisma Miraculosum“.

N. B. 1) Media (sub nr. III) habent solum vim consilii; solo amore sine limite erga Sacratissimum Cor Iesu, ut Ei quam plurimas animas quam strictissime per Immaculatam uniamus, moveamur.

ACTUS CONSECRATIONIS B. M. VIRGINIS IMMACULATAE.

○ Immaculata coeli et terrae Regina, Refugium peccatorum et Mater nostra dilectissima, Tu cui Deus totum ordinem misericordiae committere voluit, ego N.N. indignus peccator ad pedes Tuos me provolvo suppliciter petens, ut me totum et totaliter tamquam rem et proprietatem Tuam assumere, et secundum tuam voluntatem cum omnibus facultatibus animae et corporis, cum tota vita, morte et aeternitate mea, disponere digneris. Utaris etiam, si hoc Tibi placet, me totum et totaliter ad hoc quod de Te dictum est „Ipsa conteret caput tuum“ et „Cunctas haereses sola interemisti in universo mundo“ exequendum, ut in Tua Immaculata et misericordissima manu aptum sim instrumentum ad gloriam tuam in tot deviatis et tepidis animis introducendum et quam maxime augmentandam et ita dulcissimum Regnum SS-mi Cordis Iesu quam maxime extendendum, ubi enim Tu intras ibi gratiam conversionis et sanctificationis impetas, per Tuas enim manus omnes ad nos gratiae ex Corde SS-mo Iesu pervenienti.

Dignare me laudare Te, Virgo Sacra, Da mihi virtutem contra hostes Tuos.

